

eodem censu et bonis seu competere possent in futurum, et per quae possent contra resignationem et renunciationem praedictas venire in toto vel in parte. Et quia memorati domini . . decanus, . . cantor et capitulum iam dictum censum cum aliis obventionibus et oblegiis conferri — ipsis et ecclesiae praedictae petierunt, nos igitur Meynherus et Bertholdus praedicti petitionem dictorum dominorum iustam, piam et deificam considerantes, ipsorum precibus favorabiliter inclinati, praedictum censum seu bona — — dictis dominis — et capitulo ecclesiae Misnensis contulimus cum areis aedificatis seu aedificandis, cum omni iure, utilitate et fructu iusque nostrum, quod in censu seu bonis praedictis nobis et heredibus seu successoribus nostris competebat vel quocumque modo de iure vel de facto competere posset, in capitulum et ecclesiam Misnensem praedictam transferimus pleno iure, nihil iuris nobis et heredibus seu successoribus nostris in censu et bonis praedictis penitus reservantes. In quorum omnium robur et evidens testimonium sigilla nostra praesentibus duximus appendenda, praesentibus et testibus strenuis et honestis viris Johanne de Stuchow nostro secretario, Friderico Marschalci de Mokrucz, Reynhardo de Richinstad nostris familiaribus, Bertholdo de Gebese perpetuo, Nicolao Raschkewicz, Johanne plebano in Eudinstorf temporalibus ecclesiae Misnensis vicariis, Johanne Porezk et Alberto Monyrsburg clericis pluribusque aliis fide dignis. Datum et actum Misnae in curia habitationis nostrae anno domini millesimo tricentesimo septuagesimo nono, in die sancti Kalixti papae et martyris.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln der Burggrafen (Schild mit dem Andreaskreuz) an Pergamentstreifen.

No. 657. 1379. 1. Nov.

*Dieselben eignen dem Capitel von Joh. von Staucha erkaufte Zinsen in Panitz und Clanzchwitz.*

In nom. dom. amen. Nos Meynerus et Bertholdus dei gratia burgravi sacri imperii in Misna et comites in Hartinsteyn ad universorum tam praesentium quam futurorum discretionem praesentium seriem litterarum cupimus pervenire, quod strenuus vir Johannes de Stuchow de consensu et bona voluntate suae conthoralis suorumque heredum, ac bona deliberatione praehabita octo sollidos grossorum Fribergensium cum sex grossis, unam sexagenam cum dimidia ovorum et octo pullos annui census, siti in villis et in pago villarum Panycz et Clanczwicz districtus Misnensis, in parrochiis villarum Stuchow et sancti Gothardi prope Ganam, quem censum singulis annis solvunt, solverunt et solvere consueverunt infra scripti rustici eorumque heredes in eisdem villis Panicz et Clanczwicz residentes: Johannes Nueman de Panycz eiusque heredes de uno manso et pratis tres solidos grossorum cum sex grossis in festo Michaelis et tres solidos grossorum cum sex grossis in festo Walpurgis, mediam sexagenam ovorum in festo pascae et quatuor pullos Michaelis, item Martinus Modrag de Clanczwicz de medio manso decem grossos et duos pullos in festo sancti Martini, item Nickil Wussin de Clanczwicz de medio manso octo grossos, duos pullos in festo Martini et unam sexagenam ovorum in pasca, quem censum dictus